



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis. Acholius & Anysius, qui eam cathedram tenuerunt, magno in pretio habiti apud Damasum & Siricium. Deleto Sirmio, Apennius Vicarius Illyrici profugit ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

secundum dixit in Romana synodo: *Nam constat venerandos sedis vestra Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suae Illyrici Ecclesias vindicasse.*

Marca in lib. de Primat. §. 10.

IV. Illyriciana porrò solida Diocesis, postquam orbis Romanus in quatuor praefecturas sectus est à Constantino Magno, complectebatur Pannonias, utrumque Noricum, Dalmatiam, Daciam ripensem & mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Macedoniam, Achaïam, Thessaliam, utramque Epirum, & Cretam. Sirmium autem Pannoniae secundae civitas, erat caput Illyrici, ut in synodo Aquileiensi habita anno C C C L X X I. differuit Anemius Sirmiensis Episcopus, sive Acta quae nunc circumferuntur istius synodi germana sunt, sive post longum tempus conficta à Vigilio Tapfensi Episcopo in Africa, ut existimat Petrus Franciscus Chiffletius vir eruditissimus. Vt cunq̄ue enim se res habeat, ex Actis illis probatur Sirmium fuisse quondam caput Illyrici. *Anemius Episcopus dixit: Caput Illyrici non nisi civitas est Sirmiensis.* Vnde eam Ammianus Marcellinus vocat matrem urbium, ibique Principum Romanorum regiam seu palatium fuisse docet in libro x x. & x x v i. suorum commentariorum. Quod etiam à Zozimo historico observatum est. Itaque claritati urbis datum ut illic quodque esset praefectura Illyricianae sedes; ibique per eas tempestates fuit omne Illyrici fastigium, tam in civilibus quam in episcopalibus causis, ut ex eodem Ammiano Marcellino & Iustiniano Aug. observavit illustrissimus Archiepiscopus in libro de Primatibus. Chiffletius tamen existimat Sirmium nunquam fuisse caput Illyrici, nisi fortassis per illud triennium quod in ea urbe Constantius Imperator exegit, per annum nimirum C C C L V I I. & duos sequentes.

Amm. Marcell. lib. 15. Iustin. Nov. 11.

Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 38. & seqq.

V. Secto demum Illyrico in orientale & occidentale, Pannonia quidem, utrumque Noricum, Dalmatia, Mœsia, Dardania, & Creta, in imperio occidentali remansere; servataque est aliquatenus Sirmio sua dignitas, constituto illic Vicario Praefecti pratorio Italiae, qui provincias illas regeret, perque illos tractus vice sacra judicaret. Sedes verò Praefecti pratorio Illyrici translata est Thessalonicam; eique contributa Macedonia, Thessalia, Achaïa, Epirus utraque, Praevalis, & utraque Dacia. Disputatur inter eruditos quoniam demum tempore instituta fuerit haec divisio. Marca verò post ubi rem de hac controversia dissertationem concludit eam fuisse peractam anno C C C X C V.

Marca de Primat. lib. 2. §. 16.

supremo Theodosij senioris arbitrio: qui eo anno moriens, Honorioque & Arcadio imperij provincias dividens, Illyricum orientale Arcadio, occidentale Honorio commisit.

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis, quòd ingens accessio facta esset claritati urbis; juvitque fortunam ejus auctoritas Episcopi Acholij, tum etiam Anyfij, quos ob ingentia eorum merita Pontifices Romani, qui tum vixere, Damasus & Sircius plurimum suspexerunt, ceu suo loco sumus dicturi. Sed tamen adhuc amplificata valde est Thessalonica post excidium Sirmij, quod contigit anno quadringentesimo quadregesimo secundo, furente per Thraciam & Illyricum exercitu Hunnorum, duce Attila. Tunc enim Apennius Praefectus pratorio Illyrici, sive potius Vicarius, è Sirmio Thessalonicam profugit, ut Iustinianus docet; qui addit, eò tunc commigrasse dignitatem praefecturae. *Cum enim in antiquis temporibus, inquit ille, Firmi praefectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis, postea autem Attilanis temporibus eisdem locis devastatis Apennius Praefectus pratorio de Firmiana civitate in Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam praefecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra praefecturae, meruit aliquam prerogativam.*

VII. Scio clarissimum eruditissimumque virum Ioannem Morinum falsitatis arguere hunc locum ex Novella Iustiniani, multis de causis. Tum, quòd verum non sit Thessalonicam adeptam esse honorem ecclesiasticum Attilanis temporibus, cum Leo Papa, qui temporibus Attilae vixit, testetur in epistola ad Anastasium Thessalonicensem primatus dignitatem Thessalonicensibus Episcopis delatam olim fuisse ex Pontificum Romanorum praedecessorum suorum constitutione. Tum etiam, quòd falsum quoque sit civilis administrationis apicem eisdem Attilanis temporibus collatum Thessalonicae fuisse. Eo enim ornatam fuisse Theodosij Magni tempore. Falsum praeterea esse iisdem Attilanis temporibus amplificatam fuisse dignitatem urbis Thessalonicensis, aliquamque prerogativam meruisse sub umbra praefecturae. Constat enim eam urbem fuisse clarissimam, magnaeque auctoritatis, jam inde à temporibus synodorum quae apud Nicæam & Sardicam habitae sunt.

VIII. Sensit vitia ista illustrissimus Archiepiscopus, Tribonianumque Novellae illius Constitutionis auctorem à vitio adspiciendae liberari non posse pronuntiavit, si No-

Marca lib. 1. tit. 1.

Marca in 15. de Primat. §. 16.